

V I R I
SUMME REVERENDI AC DOCTISSIMI
D O M I N I
ERDMANNI NEVMEISTERI,

Past. ad S. Jacob. & Scholarchæ providentissimi,

Epistola Consolatoria,

Qua,
cum V I R

Itidem Maxime Reverendus Doctissimusque

D O M I N U S
M. CONSTANTINUS AMBRO-
SIUS LEHMANNUS,

Archidiaconus Ecclesiæ Doblinensis per LVIII, annos meri-
tissimus, & Dioceseos Oschazinæ Senior Gravissimus,

vitæ & honorum satur,

beato excessu

ad Patres suos populamque cœlestem esset aggregatus;

Relictum Illius Filium natu maximum,

V I R U M

Nobilissimum Consultissimumque

D O M I N U M

PETRUM AMBROSIUM LEHMANNUM,

Potentiss. Reg. Polon. & Elect. Saxon.

à Secretis Legationum,

ad luctus moderationem induxit,

nunc

*Latinis iisque Elegiacis versibus ab incognito Tanti Poëtæ
& Oratoris admiratore & cultore adstricta.*

H A M B U R G I, Literis Gennagelii. 1718.

Lit. Lat.

rec. A.

392, 18.

V 14.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.

Accipe, quos Tibi, Vir Celeberrime,
destino, versus:

Haud te scribentis mensque manusque latet.

Participare Tuos inœstum patiare dolores:

Cognatus Tibi sum, stirpe negante licet.

Sanguinis haud semper nexu cognatio constat.

Sylvestres ramos sæpius arbor habet.

Non genus & sanguis, mens efficit una propinquos:

Vadere pullatum me simul illa monet.

Nec tamen inficior, transmittere ferica peplum,

Junctaque cupressis est rosa rubra nigris.

Scilicet apposito planctum mihi tempero plausu:

Ut Tecum doleo, sic Tibi grator ego.

Perdis eum, quo nil Tibi carius orbis habebat,

Extincta est oculis tua semina Tuis.

Heu, divulsa Tui jacet altera portio cordis:

Altera vita Tibi est falce resecta necis.

Heu, Pater ille bonus! repeto quod non male dixi:

Heu, bonus ille Pater, nec repetisse sat est:

Heu Pater ille bonus cesfit, si vertice cano,

At nimium juvenis præpopereque Tibi.

Heu Pater ille fuit, quem, Te velut, æquus amasti!

Næ, sibi quid velit hæc formula, nemo capit,

Cui sua non veram dedit experientia clavem,

Et docuit, mentem quam tener urat amor.

Ipse ego persensi : quod mens Tua dulce vovebat ;
Quod sibi solamen , quasque petebat opes ,
Vita Tui semper fuit una atque unica Patris ,
Hoc Tibi cara magis , quo diuturna magis.
Nec me porro fugit , quanto jactura dolore
Tanta Tibi , Fautor , pectora moesta coquat.
Unde Tibi cordis mitto suspiria nostri ,
Quodque gemis , Tecum mente dolente gemo.

Si tamen intueor divini signa favoris ,
Quale decus tumulo fama paterna ferat ,
Defunctique sacrum quæ gloria nomen honestet ,
Ante alios dici faustus , Amice , potes.

Non memorare nihil nostræ permitte Camœnæ :
Ut potero , non ut debeo , pauca canam.
Nolo tamen putri fructus decerpere ramo ,
Me nec adulantis vox calamusque iuvat.
Nec quicquam ~~carmina~~ mea carmina , quod non
Tu longe melius , quam mea Musa , scias.
At crebro premimus complexu , quicquid amamus ;
Et quæcunque placent , nos sine fine trahunt.
Non Tibi multa nimis possunt de Patre referri :
Nam cupida , quicquid dicitur , aure bibis.
Hic ego cum primis tristes effundo querelas ,
Omnia quod minime pagina nostra capit.

Nomina

Nomina Lehmanni multis sunt propria, quorum
Notus honor Pindo est, & Tibi, sancta Sion.
Et mea non paucos simul hic appellat amicos,

Appellat quæ Te penna genusque Tuum.

Si doctis aliquando Viris dementia suavit,

Ut sibi corrupta nomina voce darent,

Pristina quod scriptis essent ignota vetustis,

Illam nec audierit natio docta prius,

Non est, quod pudeat Lehmannum nominis hujus,

Mutet & hoc Grajis Aufoniisque fonis.

Nam si laurigeræ non sit solenne catervæ,

At per Te lauris conveniatque cedris.

Si geminos Tibi deinde viros libet addere, quantis,

Obsecro, luminibus laus utriusque nitet?

Quam se Pierides Lehmanni nomine jactant!

Hunc sua Spira, illum Lipsia laude vehit.

Si Pater haud scriptis tot, quot Tu, forte legatur,

At liber est, in quo nomina clara gerit:

Qui Vir enim fuerit, superis caput illud amicis,

Doblinum loquitur, labraque dia sonat.

Non ego Doblinum felix sine honore recordor,

Quod Calidobeccum, Teutona terra, tuum est.

Juribus hoc certis donandum sæpe putavi,

Ob libertatis pilea pulcra notas;

Hammoniaque illi debetur gratia nostræ;

Hinckelmannus enim prodiit inde potens.

Ah, citius justo Sol occidit ille! quod ipsum

Cum gemitu recolunt tot pia corda gravi.

His fuit in campis, ubi Patrem summus agendas
Jusserat insomnem pascere Pastor oves.
Gratia magna Dei est, nec contemnenda voluptas,
Et genus & munus ducere sede pari.
Quamque Sacerdotis, quæso, formosa corona est,
Quæ non in quavis florida fronte sedet;
Cum simul urbe parens ac natus scandit eadem
Et cura & simili pulpita sacra fide!
Ipse Parens stetit hic Aaronis more, sed Illi
More Eleasarum sumpta paterna toga est.
Tunc Deus in Nato dedit Ipsi grande levamen,
Ardentis Pinehæ quod meret ille decus.
Hala superbivit, divinam Olearius ædem
Semper ubi ornavit sicut oliva virens.
Non fors deterior Doblino est: pectore toto
Hoc Lehmannorum nobile stemma colit,
Quod tanquam vegetam coelum servabit olivam,
Ut Solymæ semper stet vireatque jugis,
Usque novum mundum, ut juvat, de gormine germen,
Atria quod decoret cuncta per æva Dei.

Ad sedem calamus me nunc deducit amicam,
Quam mihi dicenti corque animusque salit:
Portæ nomen habet, portam quia pandit ad artes:
Hæc tenuere Patrem limina prima Tuum.
Hic doctrinarum fundamina jecit: alumno
Hæc dedit ut genitrix ubera plena suo.
Quos Latium, quos fert scitissima Græcia fructus,
Impiger ex horto carpsit utroque labor.

Hic

Hic bene Laurenti tinctus fuit arte Magistri,
Laurenti, mihi qui Doctor & ipse fuit.
Cui tumulum instravit moestis mea Musa cupressis;
Ultimus hunc postquam jussit abire dies.
Hac fuit in Porta (Porta quid dulcius illa?
Illius & quam me nomina sola juvant!)
Heu mihi! torpet iners verborum oratio, dignis
Talia si Tempe sint celebranda modis.
Obruat everfas æternus squalor Athenas,
Forte quibus nunquam surgere posse datur;
Sistit Athenæum cultissima Porta secundum,
Perstet ad extremum quod, precor, usque diem.
Thessalus ad celsum Tempe sua tollat Olympum,
(Græcia res minimas amplificare solet.)
Ad Salam veniat, nova qui vult cernere Tempe;
Penei superat suavior illa sinum.
Sidera pratorum, lætorum foetus agrorum,
Fonte
Deliciæ hortorum, nemorum frons densa virentum
Non fuerint Tempe, pulcrior imo locus?
Hic (memini) mire Puerorum Monte tenebar,
Qui mihi, qui nobis verum Heliconæ dedit.
Lunæ luce jugis quoties confedimus istis,
Ante oculos facies totius orbis erat.
Cœlum ibi cum terra, cumque aëre lympha ratesque,
Nubila, sol, vallis, mons, lacus, arbor, ager,
Arx, urbs, cœnobium, fera, pagus, avesque, gregesque,
Pascebantque homines lumina nostra simul.

Hic

Hic licet Eusebie scitas educere plantas,
Hic Hygiea suis usibus apta legit,
Et de germinibus Themis his sibi plurima poscit;
Quid, quod & hinc MAVORS robora certa petit.
Sic olim cecini ludens. Ignoscite, quæso,
Quod libet antiquum nunc iterare melos,
Forte tamen mecum lætaberis Ipse : medullis
Non scintilla Tuis Misnica nulla calet.
Sors ubi discipulos jungit vel fera remotos,
Grex ovat Angelicus : vox ita trita sonat.
Cum sibi sacram igitur connectat Misnia Portam,
Auribus hujus erit mentio grata Tuis.
Lipsia jam celebris juvenem pellexit adultum,
Continuabat ubi, quod bene coepit, opus.
Quisquis eam meritis vult tollere laudibus urbem,
Tentat ad ætherias ille volare plagas.
Quam qui nosse cupit recte, ingrediatur oportet,
Urbis & illinc spectet in Urbe jubar,
Huic Paradisus erit, variis qui fructibus undat,
Ingeniique parit fertilioris opes.
Noverat illa Tuus genitor, qui pondera largæ
Legit ibi messis, nectareosque favos.
Et quot mille eadem restantes edere possim !
Huic urbi par est, par quod habere neges.
Illa sui memores quoque nos jubet esse merendo,
Quos placido fovit mater ut alma sinu,
Et quorum ambrosiis lactavit pectora succis.
O ævum felix ! nunc tamen illud ubi est ?

Lipsia

Lipsia dulcis ubi est? præstat compescere linguam.

Qui fert mutari nescia fata, sapit.

Devia cur quoque res alienas penna sequatur?

Ad Patrem spectant nunc memoranda Tuum.

Jamque aderat tempus coelo moderante statutum,

Patria quo juveni munera sacra daret,

Ille tremens suscepit onus gravitate verendum,

Pressit & insomnem flensque gemensque torum.

Sic decet: hic servi mos est propriumque fidelis:

Aggreditur partes territus ille suas,

Ad quas ipse DEus vocat, ut sua jura loquatur,

Illius & fretus Numine jussa facit.

Huc ades, hunc specta, quisquis ruis impete coeco,

Claudus & obliquo repere calle soles;

Tuque, Simoniadis emitur cui functio donis,

Et cui ventrali tradita charta venit.

Ecce tuum speculum quoque, cui dominatio cordi est;

De meritis fingis qui tibi mira tuis,

Ilia cui magna ars nimia & sapientia rumpit,

Et placidum ponis blandior ore pedem,

Et quæ præterea dant damnum exempla malorum.

Esse igitur Myrtam num satis esse putes?

Quid DEus & tua mens de factis judicat istis?

Felices, quos non morsibus illa fodit!

Et Tua, sancte Senex, speculum est submissio clarum,

Quod sibi Diotrophes non remove sinat.

Nolebas gradibus sublimior ire duobus,

Et satis in medio munere magnus eras.

B

Infula

Infula nulla Tibi, toga nec primaria risit,
Rara dolo vacuus sic documenta dabas,
Ut non inferior Pastorem odisse priorem
Debeat, aut hujus fata remota queri.
Par virtus & honos Domino nos subjicit uni:
Sed leve discrimen debitus ordo facit.
Majus & hoc onus est, fuerit quo functio major:
Hoc alii invidias? quis malus ille furor?
Dignus eras apicem conscendere Præfulis altum;
Usibus edocto sat Tibi mentis erat.
Sed tua monstrabat liquidis prudentia signis,
Sede Tibi patriæ nil prius esse Tuæ.
Adde, quod haud ignarus eras, quæ commoda portet.
Heu, vere miserum Presbyter est animal!
Illum animo multi pungunt calcantque superbo.
Quin fremat ædituens: & mea poma natant.
Qui modo sacrorum fert nomen inane Patroni,
Umbraque vix templi est, Præful & esse cupit,
Qui satagat rerum collatorumque bonorum.
Obstat ubi Antistes, protinus Ætna furit.
Dæmones undeni Mystam furialiter angunt,
Pingit ut hos notus commemoratque liber.
Dimicat his Præful duplicatis. Unde beatum
Prædico, quem talis non male mulctat honos.

Hæc bene judicio Lehmannus vidit acuto;
Sortis ob id mediæ prætulit ille locum.
Si tamen hic casus olim quoque sensit acerbos,
Æquum animum norat Dæmonis esse metum.

Aptior

Aptior haud pannus Mystæ concinnat honestam,
 Mens nisi quam patiens textit & æqua, togam:
 Nil huic invidiæ, nil sputi & fellis adhæret;
 Tegmine quo cinctus tutus in orbe stetit.
 Et DEUS & munus fuit Illi ante omnia curæ:
 Ultimus in tumulum non vocat inde gradus.
 Non odium ullius, non illum gratia flexit:
 Mite minaxque tulit justus ubique pedum.
 Nulli operæ, nulli studio vigil ille pepercit,
 Appellans requiem triste laboris onus.
 Multaque cum lassent corpus præconia verbi,
 Tædia visa aliis huic amor unus erant.
 Otia sectantur plures, aliosque fatigant,
 Cras illum, hunc hodie dum juga ferre jubent.
 At pudeat segni molles torpere veterno;
 Quid faciet, juvenis qui facit ista, senex?
 Insuper implevit mensuram nominis ampli:
 Constantinus erat verus & Ambrosius.
 Dulcia verba DEI purus constansque docebat,
 Permulti lolium cum tribulosque ferant.
 Quæ non monstra feris è faucibus expuit orcus?
 Quæque infecta rubens non vomit ille Draco?
 Sæpe rapax pellem lupus astu sumit ovinam:
 Fures irrepunt in tua tecta, Deus!
 Quam lacerum maculata Sion gemit horrida cultum!
 Et quam Josephi crescere damna palam est!
 O DEUS, in quæ nos servasti tempora feros!
 Hic cineres gliscunt; hic nova flamma furit.

Unica tantorum est Pietismus causa malorum:
Hic niger est, halant quem Stygis antra, vapor,
Hac multos Satanas Præcones arte cribavit,
Latrones fecit quos famulosque suos.
Pestiferum est virus, tacitis quod serpit in umbris,
Et media sternens agmina luce lues.
Est Leviathanis soboles, quæ parturit angues,
Carnis & obtento Flamine probra tegit.
Mi Deus, evigila! Causa est tua. Discute lites;
Ludit hypocriticum nam tua verba genus.
Dæmonis est nidus. Vindex, age, surge, severa
Illius ut frangas vi gladioque caput.
Excutit hoc animo votum justissimus ardor:
Approbat id, verum quisquis amatque Deum.
Inquinet at plures Satanæ cum turpe venenum,
Integer & purus Vir pius ille stetit.
Cui gemini Pharisæus erant Pietistaque fratres,
Et mendax pietas cui Pietismus erat,
Christiadum ritu pietatem sanctus amabat,
Quæ rectum ingenua simplicitate colit.
Peccantum numero se nunquam exemit, & idem
Cum Paulo doluit maximus esse pio.
Notitiam ille sui nunquam semovit ocellis,
Sed peccare sciens erubuitque volens.
Robora quæfivit sibi, cum sibi debilis esset,
Arripiens firma te, pie Christe, fide.
Quo magis agnovit labe, magis ille gemebat,
Excoluit mores sic sine fine suos.

Illius

Illius eximium docet hoc quoque Symbolon, in quo
Nil nisi munditiem cordis anhelus avet.
Iussus ut hoc rhythmis adstrinxit aliquando canendis,
Sic illos numeris, si licet, addo meis.

Munda mihi mutaque mentem,
Deus, refinge cor meum!
Attende me singultientem,
Et pande gratiæ finum.
Te quaeso per Christum, nigrore
Cujus nitor nos liberat,
Fac, me bees hujus cruore:
Fons hic meas sordes lavat.

Fido Tuæ benignitati,
Qua supplicem complecteris,
Meæ potens iniquitati
Vel maximæ medeberis.
Me sublevas promissione:
Si noxa vel pol'um ferit,
Hæc gratiæ profusione
Submersa prorsus interit.

Te plura fervidus rogabo:
Da Spiritum novum mihi:
Fac, ambulem viis, amabo,
Certis sagax verbi Tui.

Corroborans fidem pusillam
Granum sinapis augeas,
Ut fructibus coronet illam
Negotiosa charitas.

Ne judica me, mite Numen,
Nec gratiæ mihi nega
Abs Te repulso dulce lumen;
Quin hoc dolentem recrea.
Me per Tuum duc ipse Flatum;
Fac, ne fugatus avolet;
Sic cor meum tibi dicatum,
Quo jungimur, templum manet.

Opem mihi fer expetitam,
Hac me refocilla, precor!
Sic spem meam meamque vitam
Pessundabit nullus timor.
Flamen Tuum, vigore lætum,
Custodiat me, ne cadam;
Nec vita, nec me triste lethum
Sic coget, ut Te deseram.

Solatii facem dedisti;
Non angor ultra, mi Deus!
Mundum mihi cor obtulisti
Per sanguinem Christi bonus.

In-

Inter manus Tuas quiesco.

Ut Tu meus, Tuus manens.

Mors ingruat, non obstupesco;

Christum videbo. Plaude mens!

Prævius illum igitur duxit per plana viarum
Spiritus ille Dei, Spiritus ille bonus.

Ut vero pietas ad res est utilis omnes,
Sic fuit omnigenis hic cumulata bonis.

Prosperitas prima & gratissima contigit ipsi,
Porrigeret castam cum pia sponsa manum.

Illius hic tali cor cordi annexuit æther,
Corpora mens regeret semper ut una duo.

Nomina multa tulit, cum simplex nomen haberet:

Nam, quod Sara fuit, quodque Rebecca fuit,

Cum Maria quod Martha fuit, Christique quod unctrix,

Omne Sabina fuit (quis neget?) Höferia.

Illius haud verbis vel factis pectora læsit,

Quam moriens moesto vulnera quando dedit.

Interea officiis dilectum & honore colebat,

Siracide, laudis munere digna tuæ.

Jure vocanda fuit vitis pulcherrima: magnum

Fertilitate domo fert velut illa decus:

Germine sic deno hæc decoravit tecta mariti,

Unde quater feni, turba tenella, virent.

O fors fausta nimis! quod vir canit ante citatus:

Felix, cui soboles gaudia multa parit!

Possumus exemplo fatis hic firmare: replevit

Par hoc lætitia deliciisque Deus. Jam

Jam Paradisiacis alios plantavit in hortis ;
Grande bonum pietas quod sciat esse patrum ;
In terris alios dignis solamine liquit ,
In quorum numero primus , Amice, viges.

O fortuna etiam paucis concessa ! coluntur ,
Conjugium fero quæ sacra festa novant.
Lustra decem par hoc junxere & quattuor anni :
Dicere ne dubita : mirum opus ecce Dei !
Penna voluptatem doceat sine nostra , parentes
Perfudere animi qua penetrare mei.
Tres minus his annos facilis donavit Olympus ,
Firma quibus placidi vincla fuere tori.
De thalamo tumulum subeunt quot millia , quorum
Mors multo citius solvere vincla solet !
Impius aut sane fuerit rationis egenus ,
Pignora qui superæ negligat ista manus.
Cœli munus erat pariter studiosa voluntas ,
Scripturæ explicuit cui monumenta , gregis.
Attalicum superat thesaurus hic aureus aurum ,
Æraque fœnoribus multiplicata suis.
Vera cano : livor cogetur & ipse fateri ,
Hunc Plutona fame non stimulasse sacra.
Judice me , dixit , turpe est & judice cœlo ,
Pastor ubi in quæstu ceu trapezita sedet.
Nec tamen ætheriæ bonitatis squaluit expers :
Grata Sacerdotes munerat ara suos.
Solus amor populi tamen , ut modo diximus , illi
Optima gaza fuit , cui bona sponte dedit.

Non

Non equidem coeleste statim fit munus, adorat
Concio cum Mystras obsequiosa suos;
Censuram potius vix morum egisse videtur,
Quam plerumque odium fors & acerba premit.
Verum aliud longe est: hominum captare favorem,
Molle ubi cervical callida lingua parat.
Rursum aliud, veram Pastoris vivere vitam,
Edit ubi fructus non male gratus amor.
Quæ talem non corda virum venerentur amentque,
Germanam exeruit qui sine labe fidem!
Cujus in officio non torpuit ardor, & orans
Aurea cujus item pectus acerra fuit.
Doblinum memor esto precum, vigil ille Sacerdos
Indeclinata quas pietate dabat,
Quodque tuis factus sic turris ahenea muris
Attulerit pulsus commoda multa malis.
O tibi perpetuam firment hæc vota salutem,
Ne cupias canum posse redire caput!
Det Deus, ut veniat ne temporis hora lutosi,
Cum tibi sit tanti nix liquefacta Viri.
Amplius haud cathedram si possit scandere Præco,
Nemo sui segnem muneris esse putet.
Magna satis præstat, donec valet ipse precari,
Ut bene Lehmannus præstitit illa Tuus.
Quale bonum porro rebus persensit in arctis?
Quid loquor? ærumnas an rear esse bonas?
Quisquis eas, fateor, mortali spectat ocello,
Quæ patitur, verum judicet esse malum.

C

Ac

At sensum finemque Dei pius aspicit intus:
 Tunc ratio ulterius murmura nulla ciet.
 Pectoris huic sedant solatia blanda tumultus,
 Nominat & plagas oscula grata suas.
 Acrior hoc ferula est, Patri quo carior infans:
 At patrius semper saccharon addit amor.
 Quam Dominus multo nobis bene consulit ictu!
 Sic Christo similes hic etiam esse licet.
 Non Deus in terris Paradisum spondet amoenum,
 Purpureas armet spina ubi nulla rosas.
 Nos premit, affligit, lacerat, compungit & orbis,
 Imus & ad superas per mala multa domos.
 Unde Deo carus fuerit cum Præco beatus,
 Rettulit in tabulas hunc simul ille crucis;
 In quibus hic etiam jussus sua nomina legit,
 Iunctaque natorum nomina quæque Dei.
 Crux, labor atque preces tria sunt notissima, per quæ
 Præco Dei monstrat se bonus esse, quod est.
 Crux etiam officiis aptum dedit atque probatum
 Lehmannum, ætheriis annumeranda bonis.
 Quale Dei donum fuerit quoque longior ætas,
 Qua constans fidei munere functus erat!
 Hic mea crena meis poterit bene parcere verbis;
 Præripuit partes splendida penna meas,
 Et satis ornavit festum solenne, quod actum,
 Cum per lustra decem manus obisset, erat.
 Octo sequebantur reliquos tamen insuper annos.
 Gratia quam paucos rarior illa manet!

Hem

Hem prope bis senis durantia munera lustris !

Dimidium innumeris haud superare datur:

O quanti per tanta rotant nos tempora casus !

Exemplum , repeto , rarius ecquod ubi est ?

Jam vitæ spatium Moses descripsit , & annos

Vix octogenos exuperare docet.

Attigit hanc metam Genitor Tuus, e grege quam vix

Mille virum decimi tangere vita valet.

Venerat ergo dies, quæ semper venerat illi,

Securum quem non arguit ulla dies,

Omnem quique diem sibi diluxisse supremum

Credidit, & quævis nox cui summa fuit.

Sic animæ curata domus, magis illa sed ipsa est:

Altius ingemuit : termine, quando venis ?

Quando fluunt longæ, numero quas anxius, horæ ?

Huc ades, & famulum fuscipe, Christe, tuum.

Jamque suis coepit faustissima quæque precari,

Quos lacrymare torum viderat ante suum.

Ipsæ obeo, haud obeat coelestis gratia vobis,

Sed vos immensa prosperitate beet !

Tam pia vota Patris soboli sua recta parabunt,

Quæ nunquam fati vis inimica ruat.

At durate pii, nec se fiducia frangat.

Huic bene semper erit, cui cupit ille bene.

Extremum quoque Te, mi grex, ait, alloquor, intra

Pascua quem pavi non fugienda vigil,

Allegar in numerum cum jam, quos diligo, Patrum,

Voce pium vobis menteque dico vale.

Utraque perpetuas grates persolvit amanti,
Sponte mihi potum qui dedit atque cibum.
In coelo visurum animas me spero relictas,
Ipse quibus stravi ductor ad astra viam.
Vos per Pastores pascat bonus usque fideles,
Vestram animam & cingat corpora vestra salus!
Vivite felices! mors instat: tempus eundi est,
Vos resalutabo Patris in aede mei.

Postea terrenas seclusit pectore curas:
Et solum sitiit mente gemente Deum.
Discesumque meis si fas est dicere verbis,
Hæc requieturi sensa fuere Senis:

Mors læta longum rumpe filum
Fractis ocelli stellulis!
Numen mihi rupes, asylum
Et spes ab incunabulis
Ad ultimam fuit senectam,
Quam temporum cano satur.
Cœlestibus donis refectam.
Et quis vigor vel nunc datur?
2. Fuit voluptas in dolore,
Curis levamen optimum,
Lenimen in gravi labore;
Bonum bonorum maximum.
Fida manu me ductitavit,
Fulsitque certus scipio;
Sed quam quietem præparavit,
Dat nunc humando filio.

Ad

3. Ad hanc favens prospexit horam
Servo mihi suo DEUS.

Vitæ coronam tam decoram
Sperasset haud status meus.

Vincens sed ille nostra vota
Et spes abundantissime

Implet benignitate nota,
Miremur hanc ut maxime.

4. Non per roseta semper ivi;
Me dura fors exercuit ;

Quid vanitas sit , ipse scivi :
Sed , vita dum nunc effluit,

Hac eximit me vanitate ,
Facitque , quod facit , bene ,

Colendus , hac quod charitate
Luctante flagrat me Sene.

5. Argenteos ex orbe canos
Honore plenos efferro ;

Metus sepulcri mitto vanos ,
In cujus umbris mox ero.

Obire Christi turba nescit ,
Cui vita , lux & est salus ,

Promisit hoc : mens acquiescit ;
Nil me quatit Stygis palus.

6. Cœlo favente quos creavi
Natos meo de viscere ,

Iustos viis hos educavi
Rectis ad astra tendere ;

Quibus paterna mente sortem
Ut comprecor prosperrimam:
Illos Deus sic usque mortem
Teget mei simillimam.

7. Fessi quid artus me tenetis?
Quin vos quieti tradite,
Ut molliter tandem cubetis.
Vos condet æther: fidite!
Pulvis cinisque fitis: esto!
Nullus timor me pulsitat.
Sic credo: vos, quos orbe gesto,
Suprema lux resuscitat.

8. Mortale quicquid est, valeto!
Nam quæstus est meus mori.
Pennate grex, me promoveto
Ad aurei sponsum chori
Campumque cœli possidendum.
Mens hanc petit dulcedinem
Plaudens, ut ejus os tuendum
Suam det huic imaginem.

9. Fiat! suprema meta venit;
Adstans mihi Jesus suam
Tendit manum, luctamque lenit,
Polique pandit januam.
Me grata mors vehit quietum,
Qui membra lætus exuo.
O dormienti dulce lethum!
Omnes valete denuo!




Jam

Jam videt ille Deum, & speculo sapientia moto
Jam patefacta viri pectora luce replet.
Quod clausum vocat hic inscitia nostra sigillum,
Partem ubi scire hominum dixeris, imo nihil,
Illius hoc animo mera lux est nescia noctis:
Quæ nos hic fugiunt, lauriger ille capit.
Vestis eum decorat radiantibus æmula stellis:
Paucis: mundum inopem despicit inter opes.
Jam nihil æternum terras terrenaque curat,
Quas ceu diluvium crimina dira tegunt.
Invidiaque odioque ubi se mortalia rodunt
Pectora: ubi fasces fraus, Dea facta, tenet;
Candor ubi ferme res est extincta fidesque,
Et pudor & veri non simulatus amor;
Atque ubi justitiæ impietas extrema minatur.
Eja, triumphavit monstra tot ille soli!
Exigis, ut tumulum justo quoque carmine signem?
Quicquid erit, meritis par minus illud erit.
Ergo sufficiat modo senas addere voces:
Divini sunt hic ossa sepulca Viri.

HÆc conjuncta igitur, Vir spectatissime, specta,
Quæ Tibi, quæ poterit palma sat ampla dari;
Nemo quidem luctus ausit reprehendere vestros;
At magis an felix Filius alter erit?
Progeniem lacrymis mœsti ploremus acerbis
Gaudentem in tacito, patre jacente, sinu,
Ridentemque, simul tumulum videt hujus apertum,
Nunc quia quæsitâs carpere possit opes.

Eri-

Erigit hic cristas: hic pernox alea fervet:
Imminet hic epulis, laute Luculle, tuis.
Turpibus hic sese volvitque agitaturque lacunis:
Sic comes infanum poena severa premit.
Tu vero capies, quæ lingua paterna precata est:
Quippe patrem quanti feceris Ipse Tuum,
Id non mirari satis aut exponere possum:
Optima testis erit mens Tua nota sibi.
Hac ipsa curvare genu Tibi siste jubentem,
Diceret in genibus cum Tibi læta suis.
Nulla Tibi non vox fructum producet opimum:
Ille Jacobus erat, Tuque Josephus eris.
Justa igitur magnos moderentur gaudia luctus:
Ille hominesque Tibi conciliatque Deum.
Ille Tibi labiis est arx adamantina sacris,
Et desiderii copia larga Tuis.
Ille Tibi languens vires dat: iturus in umbras
Efficit, ut Te lux lustret & umbra levet.
Ille Tibi gemitu fert omni mane salutem,
Quam Tibi nox & nex tollere nulla valet.
Ille Tibi genibus curvis iter omne secundat,
Et roseum sternit molliculumque torum.
Ille Tibi oratu mensam proponit onustam,
Et Tibi perdigno commoda mille vehit.
Ille Tibi dextra non læva negotia reddit,
Et moriens vitæ fert Tibi dona novæ.
Ille Tibi ominibus caput usque ad sidera tollet.
Omnia, Fautor, erunt omina fausta Patris.



lit. Lat. rec. A 392, 18.